omnia tibi subicere subice te rationi. Effugere non potes necessi-
tates, vincere potes. Neminem mihi dabis qui sciat
quomodo cepit velle quod vult. Non consilio ducuntur sed im-
petu feruntur. Non potest ille athleta magnam spem
ad certamen afferre qui nullum numquam expertus est. Sed ille
qui sanguinem suum fusum vidit, cuius dentes sub
pugno crepuerunt, qui supplantatus adversarium toto cor-
pore tulit nec proiecit animum iam proiectus
sed quotiens cecidit contumacior resurrexit. Eo nobilior et
actuosior est quo maior fuit animus. Magni animi est
magna contempnere. Magnus animus secunda temperabit,
adversa comminuet, et aliis admiranda despiciet. In-
moderate delicie corripiunt animum, ut segetem ni-
mia sternit ubertas. Illi nimium sunt an fci sunt
necessaria que erant superflua. Tunc est malicia consumma-
ta cum pessima complacent. Remedia non prosunt nisi
immorentur. Que vitam optimam dat omnis imposita
debet esse et simplex. Persequere vitam sine fine sine modo,
quia in eis non est finis, non est modus. Quemadmodum
aliqua vestis sapienti viro magis quam alia convenit, non
ullum colorem odit, sed aliquem iudicat minus aptum.
Sic aliqua regio est quam sapiens vel ad sapientiam

License: public_domain – Göttingen, Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen, Cod. Ms. Morbio 1 a, Fol. 9r – Anthology of excerpts from L. Annaei Seneca and other theological texts (https://fragmentarium.ms/view/page/F-za50/11341/82152)